

sonæ. Sed certe dispositio de numero præbendarum et qualitate earum per se primo respicit utilitatem et commune bonum Ecclesiæ, etiamsi secundo redundet in utilitatem singulorum, et de tali dispositione ibi agebatur, unde non possent omnes canonici ut singuli tali institutioni renuntiare, licet possent renuntiare suæ utilitati: signum est ergo fuisse rem communitatis. Addit vero Panormitanus sub conditione, quod si illud privilegium respexisset Ecclesiæ utilitatem, quoad id non fuisset sublatum per contraventionem a Capitulo factam. Quod si hoc verum esset, etiam contra nos cessaret objectio; tamen, quia verba textus plane repugnant, aliter respondendum est.

17. *Secundo respondetur.*—Respondeo ergo secundo, cum Bart., Alexand. et Gregor. Lop., supra, privilegium illud seu rescriptum non habuisse tractum successivum, sed in unico effectu qui in continenti fit vel tollitur constituisse, et ideo per unam contraventionem potuisse amitti, quia in tali materia renuntiatio quoad unum actum est renuntiatio simpliciter, quia totum privilegium in uno actu consistit. Hoc autem ita contigisse in materia illius textus patet, quia agebatur de extinguenda vel erigenda quadam præbenda seu dignitate cujusdam Ecclesiæ, quæ prius extincta fuerat cum consensu Papæ; si autem canonici contravenissent, iterum illam crexissent, et quia dignitas de se est effectus stabilis et perpetuus, ideo sicut prior extinctio uno actu consummata fuit, ita per unum actum contrarium fuisset privilegium revocatum. Tertio, addo ibi esse sermonem de statuto communi consensu canonicorum facto, et a Pontifice confirmato, quod in tali Ecclesia amplius non esset talis dignitas, quod statutum, præterquam quod per unum actum omnino convellitur ex parte materiæ, ut declaratum est, quia dignitas extincta non restituitur pro una vita, vel pro certo tempore, sed ut perpetua; etiam ex parte statuti revocatur omnino, quia, sicut statutum communi consensu factum fuerat, ita communi consensu revocatum est et contrarium fuit in virtute factum: confirmatio autem Papæ censetur fuisse in favorem paciscentium, et ideo, dissoluto pacto, censetur revocata. Et similis decisio habetur in l. 2, c. de Jur. domini impet., et melius in l. 49, tit. 18, part. 3, ubi hac ratione expresse declaratur talia privilegia per primam contraventionem amitti: ibi autem significatur id non tantum esse per

modum renuntiationis, sed etiam per modum pænæ, propter circumstantiam contraveniendi pacto a rege confirmato.

18. *Secunda objectio.*—*Respondetur secundo.*—Secundo, objici potest lex ultima, ff. de Privileg. veter., ubi dicitur, veteranos excusatos ab aliquibus muneribus, *Si passi sint se in ordinem legi, muneribus fungi cogendos esse*, per quod significatur per unam contraventionem amitti totum privilegium. Sed respondetur, primo, non esse intelligendum de aliis muneribus ad quæ electi non sunt, nec etiam ut cogi possint se iterum eligi, sed solum ut cogi possint subire munera ad quæ se eligi passi sunt. Et ita non probatur per unam contraventionem amitti totum privilegium, sed solum amitti in eo quod actum est, et in eo amitti constanter et irrevocabiler. Nam qui consensit electioni ad aliquod munus, virtute renuntiavit privilegio quoad omnem obligationem quæ ex tali electione sequi solet, alias frivola esset et inutilis consensus; cum quo tamen optime stat ut privilegium quoad alia integrum maneat. Aliter responderi solet communiter, ibi esse sermonem de electione ad decurionatum, ut ibi Glossa exponit, citans alia jura; tenebantur autem decuriones certa quædam munera exercere; et ideo qui contra suum privilegium decurionem fieri passus est, munera decurionis subire cogitur. Ita Bartol. et alii ibi, et Panormitan., et Felin., supra. Sensus vero in idem redit, quia etiam hoc modo non fundatur decisio illius textus in illo principio quod per unam contraventionem amittitur totum privilegium, sed in hoc quod renuntians privilegio in uno munere censetur renuntiare in omnibus quæ cum tali munere sunt connexa, quod verissimum est, est tamen longe diversum, ut per se constat.

19. *Dubium.*—Declarandum vero superest, si unus actus contrarius non sufficit ad destruendum omnino privilegium, quot sufficiant. Ad quod duo breviter respondeo: unum est, sicut unus actus non sufficit, ita neque plures in quolibet numero sufficere, nisi legitimo tempore ad præscriptionem necessario talis usus continetur. Aliud est, si tempus necessarium ad præscriptionem cum aliis conditionibus requisitis intercedat, ex parte usus contrarii non esse necessarium certum numerum actuum; imo nec plures actus, nisi quatenus necessarii fuerint ut præscriptio per totum legitimum tempus non interrumpatur. Primum manifestum est ex dictis, quia eadem est ratio de uno et de pluribus actibus, ser-

vata proportione; semper enim potest privilegium ad plures extendi tractu temporis, vel per amplitudinem materiæ, ut supponitur. Item quia nullus certus numerus actuum designari potest, nec per aliquam legem est determinatus. Secundum autem ita declaratur supponendo unam ex conditionibus ad præscribendum requisitis esse, ut tempus præscriptionis non interrumpatur. Suppono deinde præscriptionem contra privilegiarium in præsentem incipere eo ipso quod ille contra privilegium suum operatur. Unde suppono, tertio, eum qui contra privilegiarium præscribere potest incipere quasi possidere jus contra illum, statim ac ipse contra suum privilegium operatus est, quia non potest inchoari præscriptio absque possessione, et quia qui agit contra privilegium suum in favorem alterius, quantum est ex se, aliquid illi confert quod alter possidere incipit; ut, si solvat tributum, alius incipit possidere jus petendi; si habens immunitatem permittat se eligi, alius videtur habere jus eligendi, et sic de aliis.

20. *Post unum actum privilegio contrarium debet non retractari prior actus.*—His ergo positus, dicimus ad continuationem et consumptionem præscriptionis, necessarium esse ut post unum actum privilegio contrarium nihil privilegiarius faciat quo videatur priorem actum retractare, et id sufficere, sive repetat similes actus, sive non; eatenus enim erunt necessarii quatenus ad non retractandum priorem voluntatem necessarii fuerint, et non aliter. Ratio est, quia continuatio seu non interruptio est necessaria ad præscriptionem; sed privilegium non amittitur per contrarium usum, nisi media præscriptione, ut dictum est; ergo eadem continuatio necessaria est ad hunc effectum. Hæc autem continuatio sufficiens erit si per totum tempus necessarium prior actus non retractetur: nam per hoc durat virtus ejus, et alter semper continuat possessionem quam inchoavit: ergo nihil aliud per se necessarium est, ergo multiplicatio actuum non est per se necessaria, sed post usum privilegio contrarium, satis est amplius non uti privilegio toto tempore necessario ad præscriptionem, nec directe reclamare contra priorem usum, nec retractare illum: his enim modis potest interrumpi præscriptio; si autem nihil horum intercedat, censetur durare prior actus, et semper magis præjudicare. Ut, verbi gratia, si quis semel solvit gabelam, etiamsi iterum non solvat, non ex usu privilegii, sed quia non occurrit occasio, et

in eo statu permaneat per legitimum tempus, amittet privilegium saltem quoad illam speciem tributi, quia præscribitur contra ipsum. Idem est si passus est se eligi ad munus a quo erat immunis, vel si passus est electionem fieri sine suo suffragio ad quod habet privilegium: nam licet nulla alia electio fiat, illa cum tempore sufficiente sufficit; et sic de aliis. Quod potest etiam declarari per proportionem ad præscriptionem contra servitutes urbanas in quibus actus contrarius supponitur, unus tamen sufficit cum continuato non usu.

21. *De tempore dubium.*—*Responsio.*—*Decennium inter presentes, vicennium inter absentes, requiruntur ad præscriptionem.*—Explicandum vero adhuc superest quantum tempus necessarium sit ut amittatur privilegium per contrarium usum. Ad quod breviter respondendum est tempus hoc non esse definiendum per viam tacitæ renuntiationis, seu quasi per conjecturam illius, quia hoc modo nihil possumus cum certitudine dicere, quia nec in jure naturali, nec in positivo fundari potest, ut in simili dixi in capite præcedenti. Explicandum ergo hoc est per viam præscriptionis: nam illud tempus necessarium erit, ut amittatur hoc modo privilegium, quod ad præscribendum sit sufficiens. Hoc autem tempus regulariter esse solet decem annorum inter presentes, et viginti inter absentes: nam hoc tempus solet requiri in præscribendis servitutibus et juribus incorporalibus quæ inter immobilia bona computantur, ut videre licet in Covarr., l. 1 Variar., cap. 17; et Anton. Gom., l. 2 Variar., c. 25; et Molina, tract. 2 de Justit., disput. 7. Ad hæc enim jura et bona possunt hæc privilegia reduci. In Ecclesiis vero seu monasteriis, ut talia privilegia amittant majus tempus necessarium est, ex speciali dispositione juris, nimirum quadraginta annorum, juxta cap. *Accedentibus*, de Privileg. Alii vero existimant sufficere tempus triginta annorum, quia ita significatur in dicto cap. *Si de terra*, eod.; et in alio capite dieunt mentionem fieri quadraginta annorum, quia ita in illo facto contigit, et ita narratum fuit, non quia necessarium esset. Sed hoc non admittit Glossa in dicto cap. *Accedentibus*, quia in cap. *Illud*, de Præscript., expresse dicitur contra Ecclesias minorem præscriptionem quam quadragenalem non admitti, licet quidam canones comprobent triennem; et idem confirmatur in cap. *De quarta*. Unde dici posset illud jus cap. *Si de terra* esse per aliud correctum. Hoc tamen obstante, Glossa in die-

to c. *Accedentibus*, et Joann. And., Hostiens., Abb., Felinus et alii communiter docent requiri tempus quadraginta annorum, et ad c. *Si de terra* nihil aliud respondent nisi hodie non procedere. Mihi autem verisimile est Alexand. III, licet in aliis præscriptionibus contra Ecclesiam quadraginta annorum tempus necessarium esse voluerit, in hac quæ est contraria privilegio, minori tempore fuisse contentum, vel quia non consideravit illam ut puram præscriptionem, sed ut conjunctam voluntariæ renuntiationi privilegii, quæ facilitare videtur præscriptionem, vel etiam quia per præscriptionem contra privilegium revertitur res ad jus commune, et ideo etiam debet breviori tempore fieri. Nihilominus tamen Innocent. III, in dicto cap. *Accedentibus*, extendisse videtur regulam c. *Illud*, de Præscription., etiam ad præscriptionem contra privilegia Ecclesiarum. Et hoc usu confirmatum est et communi sententia doctorum.

22. *Infertur primo.* — Tandem, ex dictis in hoc et præcedenti puncto tria infero. Primo, amissionem privilegii per contrarium usum non habere locum in illis privilegiis quæ supra absoluta appellavimus, quatenus non versantur circa alios nec tertiam personam gravant. Ratio est, quia contra hæc privilegia non præscribitur ab aliis, cum alios non respiciant, nec per contrarium usum aliis conferatur aliquod jus. Exemplis patet, quia si quis habens privilegium non recitandi, per multum tempus recitet, non amittit omnino privilegium, quia nullus contra eum præscribit, et sic de omnibus similibus. Ac denique rationes factæ de non usu, quoad hoc, eodem modo procedunt de contrario usu.

23. *Infertur secundo.* — Secundo, infero ex dictis amissionem privilegii per contrarium usum in multis convenire cum illa quæ est per solum non usum, videlicet, quia in neutra earum sufficit sola præsumpta renuntiatione, ut vere et in re destruat privilegium, quia in utraque debet adungi præscriptio. In qua præscriptione etiam conveniunt quoad temporis longitudinem, et ita in hoc indifferenter de utraque loquuntur auctores; in duobus tamen differunt, primo, quia privilegium ad agendum per unam omissionem, ut sic dicam, vel per plures, seu per solum non usum, nec perditur nec minuitur, sed tantum non exercetur, ut ex supra dictis constat: privilegium autem ad non agendum per unam contraventionem quodammodo amittitur per renuntiationem operantis, quantum ad hoc,

ut solutio, vel alia similis actio facta contra privilegium teneat: nam in hoc aliquo modo derogatur privilegio. Quod habet locum in privilegiis quæ versantur circa alios; nam in absolutis hæc differentia considerabilis non est, sed contrarius usus moraliter perinde se habet ac non usus. Secundo, differunt quia contra privilegia affirmativa præscribi potest sine ulla actione privilegiarii, quia per solum non usum ejus potest inchoari et consummari alterius præscriptio: in negativis autem ut præscribatur contra illa, necessarium est ut inchoetur præscriptio ab aliquo usu contrario privilegiarii, quia sine tali actu nullum jus, nullusve possessionis modus potest in altero considerari, quod illi tribuat initium præscribendi, quæ omnia ex dictis satis constant.

24. *Tertio infertur.* — Tertio, intelligitur ex dictis quam utilitatem habeat protestatio privilegiarii, ut actus intelligatur fieri sine præjudicio sui privilegii, de qua dixit Bart. in leg. 1, c. de His qui spont. mun. etc., l. 10, parari, ut per actum contrarium non perdat privilegium, quod valde commendat Panormitan. in dicto c. *Cum accessissent*, n. 7, intelligens, prodesse ut privilegium non perdat per unum contrarium actum, et ad hoc esse necessariam talem protestationem; et hoc modo idem intellexit et secutus est Felin. ibi, n. 30, limit. 5; citatque Roman. et Bald. in eadem sententiam. At vero juxta doctrinam datam, talis protestatio necessaria non est ut privilegium non perdat simpliciter per unum actum contrarium: nam licet non fiat protestatio, unus actus contrarius non sufficit per se tollere privilegium; quoad forum vero externum poterit esse utilis talis protestatio ut magis constet de animo operantis. Præter hoc vero esse poterit utilis hæc protestatio ex justa causa facta, ut ipsemet actus qui in præsentem fit, non noceat in aliquo contra privilegium, etiam secundum præsentem effectum quem habere posset; ut, si per talem protestationem profiteatur operans, vel non voluntarie sed coacte operari talem actum, vel certe ignorare an aliquid detrimenti contra suum privilegium sibi afferre possit, et ideo non esse intentionis suæ cum suo præjudicio illum facere. Nam cum actus agentium non operentur ultra intentionem et renuntiationem privilegii etiam secundum quid et quoad præsentem effectum a voluntate privilegiarii pendeat, per talem protestationem merito impediatur talis effectus. Denique etiam potest prodesse ut a tali actu non possit

inchoari præscriptio contra privilegium, quia per illam fit ut nullum jus tribuatur alteri, nec aliquis modus possessionis, et consequenter etiam bona fides illius impeditur. Et in hoc sensu verum est protestationem illam deservire ne amittatur privilegium, non utique per unum solum actum integre, sed ne per illum inchoetur præscriptio, et consequenter ne consummari possit, præcedente tantum illo contrario usu. Quando autem talis protestatio nihil prosit, videri potest in Gloss. in c. *Cum*, M. de Const., verb. *Sine præjudicio*.

25. *Dubium ultimum.* — *Responsio.* — *Regula juristarum.* — *Quomodo sententia valet inducere obligationem in conscientia.* — Ultimo, videndum superest an hæc quæ dicta sunt de amissione privilegii per usum contrarium locum habeant in foro conscientiæ, vel solum in exteriori, ex juris præsumptione. In quo breviter duo sunt clara ex dictis in præcedenti capite. Unum est, quoties usus contrarius privilegio dat alteri occasionem et tempus præscribendi contra privilegium, consummata præscriptione, amitti privilegium in re ipsa, ac subinde etiam in conscientia. Secundum est, quamdiu alter non præscribit contra privilegium habens tractum successivum, per nullum usum contrarium amitti in conscientia tale privilegium omnino et quoad facultatem utendi illo in temporibus futuris. Hæc duo non indigent nova probatione; solum ergo superest difficultas de illa amissione privilegii quæ fieri censetur per quemlibet actum contrarium per modum tacitæ renuntiationis, vel simpliciter, si privilegium in uno tantum actu consistat, vel secundum quid tantum quoad præsentem actum et effectum ejus. In quo breviter dico, regulariter loquendo, talem renuntiationem esse validam in conscientia: suppono enim versari circa alterum qui statim acceptat illam, vel effectum qui ab illa pendet, quod perinde est: nam de aliis privilegiis absolutis jam non tractamus. Deinde, licet hæc renuntiatione non sit expressa, sed tacita, quatenus per actum contrarium privilegio indicatur voluntas renuntiandi privilegio saltem pro illo actu, nihilominus, moraliter loquendo ac per se, procedit ex interno affectu sufficiente, quia ille actus exterior voluntate fit, et ex animo valide et cum effectu operandi, etiamsi sit contra proprium privilegium. Ut in casu cap. *Cum accessissent*, si canonici illi contra prius statutum a se factum dignitatem Primicerii in sua Ecclesia creassent, vere et non tantum præsumptive privi-

legium amitterent, quia talis actus et effectus necessario secum affert revocationem prioris statuti; et similiter qui acceptat munus cum esset exemptus, in conscientia tenetur illud administrare, et sic de aliis. Secus vero esset si aliquis involuntarie exerceret actum, vel coactus et positive interius intendens sibi in nullo præjudicare, vel ignorans effectum illum repugnare suo privilegio; tunc enim excusaretur in conscientia propter defectum consensus, sine quo obligari non potest. Unde etiam juristæ docent quotiescumque ex signis vel conjecturis constare potest privilegiatum non habuisse animum renuntiandi, non esse privandum privilegio. Ita Gloss. in cap. *Pro illorum*, verb. *Auctoritate*, de Præb., quam Bart., locis citatis, et alii doctores allegati sequuntur. At vero si tunc privilegiarius juste condemnaretur in foro exteriori, quia non posset intentionem suam probare, tunc etiam in foro exteriori teneretur parere, licet posset occulte se indemnem servare, si absque scandalo possit. Aliquando vero posset per sententiam veluti confirmari talis renuntiatione privilegii, etiamsi non esset ex animo facta, in poenam fictionis vel negligentiae, et tunc post sententiam teneretur quis in conscientia non uti privilegio quoad talem effectum, seu ratum habere usum privilegio contrarium, etiamsi fortasse antea non teneretur, quia sententia justa potest effectum hunc inducere, ut in superioribus visum est.

CAPUT XXXVI.

QUANDO ET QUOMODO AMITTATUR PRIVILEGIUM PER ILLIUS ABUSUM.

1. *De abusu privilegii.* — *Privilegium amittitur per abusum.* — *Tria explicanda.* — Vulgaris est regula juris amitti privilegium per abusum. Unde est illa sententia Simplicii Papæ: *Privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate*, c. *Ubi*, dist. 74, cap. *Privilegium*, 11, q. 3; qua etiam utitur Innocentius III in cap. *Licet*, de Regularibus, et in cap. *Ut privilegia*, de Privil., et in cap. *Contingit*, 2, de Sententia excomm.; idemque fere habet in cap. 1 et 7 de Postulat. præbend.; et Alexand. III in cap. *Recolentes*, de Statu Mon., ubi Glossa, verb. *Communi jure*. Hanc vero regulam ita exponit Sylvest., verb. *Privilegium*, q. 10, dub. 10, ut idem dictu sit, *per abusum*, quod *per non usum*, vel *contrarium usum*; sed contra vim verborum, et con-